



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitulvm XIII. Imputari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

habenti, etiam Rector provisionem facere debeat.

3 Not. II. Pars litigans cogi potest, ut communia instrumenta edat, ut dixi in c. 10. de probat. & tradit Gl. hic. Hinc infert Innoc. hic, quem alij sequuntur, si actor a sententiâ contra se latâ appellavit, sed copiam eius non habeat, quod reum cogere possit ad edendum, quia acta iudicii communia sunt, idèq; exhiberi debent siue iudice ex officio petente, siue ad instantiam partis. l. 2. junctâ Rubricâ. Immo. ff. de edendo. quod si & ipse Reus neget se copiam actorum habere, tum interrogari potest, num talis pro ipso sententiâ lata sit. l. pensile. ff. de interrog. action. ac denique, si negaverit latam esse, cogendus est renunciare sententiæ, si fortè lata sit, vel iudex pronuntiabit, si lata sit, ut nullas vires habeat. Argum. l. Non alienum. si tamen dolo caruit Reus, seu errore ductus ita respondit, restituendus erit, vide Felin. hic num. 11.

## CAPITVLVM XIII.

## Imputari.

## PARAPHRASIS.

Aliquis in iudicio produxit duas scripturas inuicem contrarias, hoc casu, ait Greg. IX. quod fidem sibi inuicem derogent, & idè non probent, quare sibi imputet, qui tales scripturas produxit, cum in ipsius arbitrio fuerit alterutram non proferre.

## SUMMARIVM.

1. Qui contrarias scripturas producit, nihil probat.
2. Producent instrumenta censetur omnia in eis contenta confiteri.
3. Si à partibus diuersis contraria instrumenta producantur, utri fides haberi debeat à iudice.

3 NOT. Vnic. Qui scripturas contrarias in iudicio producit, nihil probat, sumptum id est ex l. 14. C. hoc tit. scripturæ diuersæ fidem sibi inuicem derogantes ab vnâ, eadèmq; parte prolata nihil firmitatis ha-

bere poterunt, ut si in vnâ contineatur te hoc die & loco ædes emisse solum, in alterâ te emisse cum vxore.

Hinc regulam colligunt DD. quod contraria probando allegans repellendus sit, quod locum habet non tantum in actore, sed etiam in Reo excipiente, teste Andrea hic n. 5. gl. cit. l. Scriptura. in addit. vbi rectè monent, facilius Reum ad sui defensionem contraria allegantem sustineri, iuxta Rog. 42. & 167. Digestorum, quàm allegantem contraria probandi causa.

His accedit, quod Innoc. notat in c. Cum olim. in fine. de censibus. quod producent instrumenta censetur omnia confiteri, quæ in iis continentur, itaq; si ea contraria sunt, sequitur, quod producent, & contraria probationis causâ alleget, & eadem tacitè confiteatur. Et quæ hic dicuntur, magis etiam locum habent, si in communi instrumento contraria reperiantur, quod nulla inde probatio fiat, si tamen commodo aliquo intellectu, aut casuum diuisione contrarietas tolli possit, talis intellectus praferri debet. c. Inter. 6. hoc tit.

3 Quæres: Si à partibus diuersis contraria instrumenta producantur, utri fidem habere debet iudex. R. in primis, quæ dignior scriptura est, v.g. publica, aut magis authentica testibus alijsq; iudiciis confirmata, praferri debet, uti Abbas hic docet n. 3. & sumitur ex l. Optimam. 14. C. de contrahendâ stipulat. sin autem paræ autoritatis videantur, tunc elisa censetur probatio, idèque Reus absoluendus erit, secundum DD. hic apud Andr. n. 6. Abbatem n. 6.

## CAPITVLVM XIV.

## Si cautio.

## PARAPHRASIS.

Titius petebat à Caio aureos 100. atque ad intentionem suam probandam produxit cautionem, in quâ Caius indeterminatè nullâque expressâ causâ confitebatur se debere Titio aureos 100. hoc casu idem Titius probare tenetur debitum, si autem in productâ cautione Caius confiteatur